



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1706

Interdicti Ecclesiastici Formula XVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62406)

fideles effectum contumaciæ, & inobedienciæ, mandatis Ecclesiæ, ac pœnæ excommunicationis gravitatem, acerbitatemque percipiant: Tùm ut excommunicatus nimio rubore suffultus resipiscat, & exeat à peccato, *cap. Novit. de judic. cap. Cum medicinalis de sent. excomm. in 6. & in Clem. unic. de consang. & affinit.* ubi dicitur--*Præcipientes Ecclesiarum Prælati, &c. ut excommunicatos publicè tamdiu nuntient, seù à suis Subditis faciant nunciari, donec suum humiliter recognoscantes errorem, absolutionis obtinere beneficium mereantur.*

Interdicti Ecclesiastici.

FORMULA XVII.

SUMMARIUM.

- 1 Interdictum est multiplex.
Causa ferendi Interdictum est delictum, vel contumacia, *ibid.*
- 2 Interdictum locale, quibus de causis feratur remissivè.
- 3 Interdictum personale, quibus de causis feratur remissivè.
- 4 Non requiritur monitio si feratur à jure, vel ob notorium excessum.
- 5 Causa est necessario exprimenda in scriptis, alias Judex incurrit interdictum.
- 6 Qui sint effectus Interdicti remissivè.

Nos N. Episcopus N.

S Empronium, vel Universitatem, seù Populum N. vel Ecclesiam, Civitatem, Castrum, aut Regnum N. propter talem causam, supponimus *Ecclesiastico Interdicto*. Hac die...

Alia

H ic auctoritate Ordinaria (seù Delegata) Cajus, Ecclesia, Castrum, vel Civitas N. denunciatur supposita *Ecclesiastico Interdicto* propter talem causam. Hac die.....

N. Episcopus N.

N. Cancellarius.

ADNOTATIONES.

1. **E**CCLESIASTICO INTERDICTO. Interdictum Ecclesiasticum, aliud est locale, aliud personale, aliud mixtum, *cap. Alma Mater de excommunic. in 6.* Causa autem illud ferendi duplex est, delictum scilicet, & contumacia, quæ tam in primo, quàm in secunda, sive Interdictum personale sit, sive locale, semper debet esse gravis, ut communiter tradunt DD. apud Sayr. *de censur. lib. 5. cap. 11. num. 1. & 16.*

2. Locale fertur à jure, ob causas expressas in *c. Felicis de pœn. in c. Quamquam de cens. in c. Ubi periculum de elect. in cap. 1. de usur. in c. Animarum de sepult. & in cap. Quicumque de hæret. in 6. in Clem. 1. de pœn. & in Extravag. super gentes de consuet.*

3. Personale verò ob causas contentas in *cap. Clericis deinceps 16 qu. 7. in cap. unico de injur. cap. Clericis de Immunit. Eccles. cap. Præsenti de offic. Ord. & in cap. Episcoporum de privil. in 6. in can. 2. Bullæ Cæne in Extrav. unic. de reb. Eccles. non alien. & in Concil. Trid. sess. 6. cap. 1. & sess. 7. cap. 8. de reform.*

Reform. ac alias quas referunt Sayr. d. lib. 5. cap. 12. Bonacin. de interd. disp. 5. punct. 8. Sylvest. verb. interd. Tolet. in Summ. lib. 1. cap. 51. & 52. aliisque Summistæ.

4. Si interdictum feratur à jure, vel ab homine ob notorium excessum, non exigitur monitio, neque ordo judiciarius, quia jus, & notorietas delicti satis monent, ut inquit Sayr. *de censur. d. cap. 11. n. 24.* & tenuit *Sac. Congr. Episc. & Regular. in Parmen. 16. Septembr. 1695.* & *Sac. Congr. Concilii in Venaphrana 26. Janu. 1697.* secus verò si feratur propter contumaciam, tunc enim ut obliget, debet parti intimari, Sayr. *ibidem numero vigesimo nono.*

5. **PROPTER TALEM CAUSAM.** Causa necessario est exprimenda: Judex enim qui excommunicat, suspendit, vel interdicat, si illam inscriptis non referat, & parti exemplar sententiæ requisitus non concedat infra mensem, ab ingressu Ecclesiæ, & à Divinis remanet suspensus, juxta litteralem dispositionem *Text. in 6. Cum medicinalis de sent. excommunic. in 6.* hacque Censura uti non debet, nisi raro, pro culpa gravi, & cum maturitate consilii.

6. Qui autem sint effectus Interdicti vide penes DD. supra citatos.



AP.